

R. D. Ant. Hæreticorum corruptentium formam ordinationis C. servantium N. Eodem enim loco conjungit baptismum et ordinationem. Unde auctor illorum canonum aut confirmat potius nostram conclusionem, aut dicendum, quod erraverit cum Cypriano; hinc

Ad Conf. 1^{am}. R. Auctoritas Cypriani in hac materia nihil habet ponderis, utpote qui docuit etiam baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, in quo erravit.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. illam impositionem manuum non fuisse reconciliatoriam; nam 1^o. Tharadius in Synodo VII. Act. 1. hanc impositionem interpretatur de simplici benedictione, qua hæretici reconciliarentur, et in acceptos ordines restituerentur. 2^o. Sicut in decretis suis depromptis ex epist. 4. ad Himmerium cap. 1. (Lab. t. 2. p. 1017. A.) hanc impositionem manuum extendit ad laicos ipsos redeuntis, adeoque vult esse communem clericis et laicis redeuntibus ad Ecclesiam; ergo fuit reconciliatoria, ordinatoria enim non convenit laicis; et quidem Pontifex ibi provocat ad can. 8. Nicænum. Quos, inquit de Arianis, nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo (Nicæna, quæ ita de Novatianis can. cit. statuit) constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens occidensque custodit. 3^o. Quia ipsa Nicæna Synodus Novatianos recepit in suis ordinibus per solam impositionem manus, ut constat ex epist. INNOCENTII I. 22. ad episcopos Macedoniæ (Lab. t. 2. p. 1274. D. E.); illam vero impositionem Pontifex vocat imaginem poenitentiae, qua admittebantur redeuntis, epist. ad Episcopos eosd. 4^o. Unde

Ad auctores cit. R. D. Veteres docent illam impositionem fuisse ordinativam sacramentaliter N. non sacramentaliter C. Vox enim *ordinatio* apud veteres non semper consecrationem et sacramentum significat; sed sæpissime etiam benedictionem, restitutionem in dignitatem et officium cum certis insignibus traditis in signum restituti honoris, ut annulo et baculo Episcopis, etc. ut præscribit Concil. Toletanum IV. an. 633. (Lab. t. 3. p. 1714. B.) quam hic ritus non servaretur ubique. In eo autem sensu sumptam fuisse vocem *ordinatio*, constat 1^o. quia multi Canones et Patres mentionem faciunt de ordinatione diaconissarum et similium ministrorum, ut cantorum, etc. quæ tamen ordinatio esse sacramentalis non poterat. 2^o. Ipsa Nicæna Synodus *sanctiorem ordinationem* vocat eam ceremoniam, qua Meletiani in acceptis ordinibus confirmabantur. 3^o. Sic GREGORIUS M. de quodam presbytero loquens, qui jam sacramentali ordinatione fuerat ordinatus, eum præcipit in prima, quæ vacaverit, Ecclesia ordinari. Atqui ordinationes illæ sacramentales non erant. 4^o. Tharadius Act. 4. Synodi VII. distinguit impositionem manus; unam ait esse ordinationem, alteram vero benedictionem; hic vero non sumi pro ordinatione ex professo probat, ut in præcedenti dictum.

139. Obj. VII. INNOCENTII I. epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum (Lab. t. 2. p. 1269. E.) distinguit ordinationem hæreticorum ab eorum baptismo; et hunc quidem ratum habet, non illam; ergo censuit ordinationem factam ab hæretico non esse validam. Prob. Cons. Sic enim ordinationem ratam non habet, sicut ratum habet baptismum; sed

hunc ratum habet quoad characterem, nam quoad gratiam non poterat habere ratum universaliter, adultus enim hæreticus hanc non obtinet; ergo ordinationem ratam non habet quoad characterem, sive valorem.

R. D. Ant. Baptismus ratum habet quoad honorem et jura, non sic ordinationem C. ratum habet baptismum quoad characterem, et non sic ordinationem N. Innocentius hic nec de gratia, nec de characterem loquitur; sed solum de juribus, honore utriusque sacramenti; nam in decretis Innocentii hujus capituli est hic titulus: *Quod Arianorum clerici non sint suscipiendi in suis officiis*; ideoque in cit. epist. aperte honorum et dignitatum mentionem facit. Nimirum baptizatus in hæresi juxta Pontificem, cum reconciliatur Ecclesiæ, baptismi honoribus et juribus gaudet; e contra ordinatus in hæresi ordinum suorum honoribus et juribus juxta severiorem Ecclesiæ disciplinam excidit; quanquam etiam hoc nec semper, nec ubique observaretur, juxta eundem Pontificem epist. 22. ad episcopos Macedoniæ referens exempla Anysii Thessalonicensis, qui Bonosianos sine dignitatum jactura suscepit; et Concilii Nicæni, quod sic Novatianos suscipi decreverat; et fecerant ob necessitatem Episcopi Macedoniæ.

160. Inst. 4. Mens Innocentii I. universim erat ordinatos in hæresi non esse suscipiendos in suis ordinibus sine iterata ordinatione sacramentali; ergo. Prob. Ant. 1^o. In epist. 21. ad Marcian. opponit ordinatos a Bonoso ante suam damnationem illis, qui a Bonoso erant post damnationem ordinati; de prioribus enim inquit eos in suis ordinibus sine iterata ordinatione suscipi; ergo posteriores censet non esse suscipiendos sine ordinationis iteratione; alias enim inter eos nullum fuisset discrimen. 2^o. In epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ dicit hæreticos per impositionem manus in sua ordinatione suis non nisi vulnus infligere. 3^o. In hæresi ordinatos nihil accepisse ab ordinante.

R. N. Ant. Ad prob. 1^{am}. R. D. Ant. Opponit ordinatos a Bonoso ante ejus damnationem ordinatis ab eo post illam quoad iterationem ordinationis N. quoad susceptionem in ordinibus C. Juxta legem Ecclesiæ Romanæ tunc temporis, ad quam Pontifex in hac epistola provocat, clericis ab hæresi redeuntibus non concedebatur clericatus et ordinis honor; illa vero lex quomodo intelligenda sit, declarat, nimirum solum de iis, qui ordinati essent in ipsa hæresi. Nostræ, verba sunt Pontificis epist. 22. (ibid. p. 1274. B.) *teæ est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis... per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare*. Ergo Pontifex solum agit de ordinum honoribus concedendis, vel non.

Ad prob. 2^{am}. R. D. Non nisi vulnus infligere, quia scienter se ordinari faciens in hæresi vel ab hæretico non obtinet gratiam sacramenti, et de novo graviter peccat C. quia non recipit characterem N. Vulnus illud peccatum est, cum quo vulnere stat character in homine, imo in damnatis; non enim character, sed gratia opponitur peccato.

Ad prob. 3^{am}. R. D. Nihil accepisse quoad sacramenti gratiam vel quoad ordinis accepti dignitatem et usum C. secus N. Sic enim contextus habet: *Sed contra asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere,*

acquiescimus, et verum est; certe qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit; et qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

161. *Inst. 2.* Quæstio inter Innocentium et saltem episcopos Macedoniæ non erat, essentne ordinati a Bonoso damnato suscipiendi simpliciter cum honore et usu ordinis, sed an essent de novo ordinandi? ergo Pontifex non potest explicari de honore ordinis, sed ipsa ordinatione. *Prob. Ant.* Episcopi Macedoniæ fecerant id, quod Anysius Thessalonicensis; ad hujus enim exemplum provocaverant: atqui hic ordinatos a Bonoso ante susceptionem ordinaverat; hoc enim testatur Innocentius in hac epist. voluisse eum, in Synodo Capuana ut ordinati reciperentur; ergo dum Pontifex hortatur illos Episcopos, ne clericos Bonosianos recipiant, vult eos non ordinari de novo in poenam.

R. *N. Ant. et prob. min. Ad hujus prob. R. 1^o.* posse explicari de ordinatione reconciliatoria.

R. *2^o.* directe ad sensum historiæ *D.* Ut ordinati reciperentur, hoc est, qui jam ordinati erant, et quomodo erant ordinati, sive in gradu et ordine a Bonoso jam accepto *C.* ut de novo ordinati reciperentur *N.* Nam apud Justellum pag. 209. non habetur, *ut ordinati*, sed *si ordinati*; unde colligitur sermonem esse de ordinatione jam accepta, et ratio porro est, quia Anysius in Synodo Capuana iterationem ordinationum coram omnibus proseripserat.

162. *Inst. 3.* Ad quid igitur ita disputasset Innocentius cum Macedoniæ Episcopis, si solum fuisset quæstio de usu ordinum, non de caractere? constat enim omnibus, ab hæreticis legitimum usum ordinis dari non posse; ergo quæstio erat de ordinis valore, vel caractere.

R. Constabat usum illum dari ab hæreticis non posse; neque hoc disputabatur; sed illud solum, an, cum usum legitimum non haberent, essent nihilominus redeuntes ab hæresi permittendi obire suorum ordinum ministeria? Affirmabant Episcopi nixi exemplo Synodi Nicænæ et Anysii, cujus ratio fuerat in Synodo Capuana apud Innocent. epist. cit. ut ea facilitate *tolleretur scandalum.* Negabat Innocentius, volens illos adigi ad poenitentiam, quæ erat, ut ordinati a Bonoso post damnationem susciperentur quidem in Ecclesiam, sed ut sine honore ordinum et officio ad communionem laicam retraherentur; proinde hortabatur illos Episcopos, ne ex Anysii exemplo regulam facerent, scilicet severus disciplinae exactor.

163. *Obj. VIII.* Urbanus II. videtur aperte aut declarare, aut supponere ordinationem acceptam ab hæretico, schismatico, vel simoniaco non valere etiam in ratione sacramenti et characteris; ergo. *Prob. Ant. 1^o.* In epist. 17. ad Præpositum S. Juventii (Labb. t. 10. p. 441. A.) de schismaticis et hæreticis nondum ab Ecclesia separatis ait: *eorum ordinationes, et reliqua sacramenta sancta et veneranda esse*; de separatis ab Ecclesia e contra asserit, eorum sacramenta *formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere juxta Patrum traditiones, Gregorii, Cypriani, Augustini.*

Deinde *ibid.* discrimen facit inter hæreticorum baptismum et ordinationem; priorem ait ratum esse propter necessitatem ejus, juxta doctrinam S. AUGUSTINI, secus esse de aliis sacramentis non ita necessariis, ut ordinatione. *Prob. 2^o.* In epist. ad Petrum Pistoriensem, et Rusticum Abbatem Vallis-Umbrosæ, ut refertur a GRATIANO caus. 1. q. 7. can. 24. de Nezelone simoniaco, qui Daibertum ordinarat diaconum, diserte ait Pontifex juxta decreta Innocentii Papæ, Nezelonem simoniacum, ab hæretico ordinatum, *quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis, auctoritate firmati, et Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait: Reiterari oportet, quod male actum est, Daibertum ab hæreticis corpore et spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integro, Ecclesiæ necessitate ingruente, diaconum constituimus: quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconi rationem; quoniam, ut prædicimus, qui nihil habuit, nihil dare potuit; ergo.*

R. *N. Ant. Ad. prob. 1^{am}.* R. *D.* Eorum, qui ab Ecclesia nondum separati sunt, ordinationes et sacramenta sancta et veneranda esse, hoc est, admitenda; item sancta ex parte innocenter susipientis, et fructuosa, quia huic non obstat improbitas ministri *C.* sancta et veneranda ex parte ministri improbi *N.* Constat ex scopo Pontificis; decernit enim cuique licere accedere ad sacramenta improborum, quamdiu non sunt separati ab Ecclesia, scilicet per se loquendo; hoc autem nunquam licere, si sunt separati. Item, sacramenta eorum, qui separati sunt, tantum formam habere sacramentorum *C.* tantum externam speciem; vel meram apparentiam, sine sacramento in re *N.* Sic etiam S. Leo ait baptismum ab hæretico collatum tantum habere *formam* baptismi, quem tamen declarat validum caus. 1. q. 1. can. 51. imo ideo vult baptismum non iterandum, quia *formam* baptismi habet; id est, substantiam. Ita Urbanus hic vocem *forma* sumit. Et ratio est, quia Urbanus ait, se ea in re Augustini, Gregorii, Hieronymi sequi decreta; sed hos Patres hæreticorum ut baptismum, sic ordinationem admisisse nemo dubitat.

Ad prob. 2^{am}. R. *N. Cons.* Loquitur enim de ordine duntaxat quoad executionem ejus, usum, honorem. Interim contra utrumque juxta ordinem.

164. *Inst. 1.* URBANUS in epist. 17. ad Præpos. S. Juven. cit. Augustini quidem probat et sequitur sententiam, sed tantum quoad baptismum, quia hic est prior sacramentis cæteris et summe necessarius; ergo licet juxta Urbanum valeat baptismus hæreticorum, non tamen ordinatione. *Prob. Ant.* Ait enim illo loco solum baptisma esse ratum apud hæreticos; ergo.

R. *D. Ant.* Quoad baptismum tantum cum fructu suscipiendum ab hæreticis, nimirum in necessitate *C.* quoad substantiam baptismi *N.*

Ad prob. D. Solum baptisma esse ratum, hoc est, solum sacramentum baptismi posse ab hæreticis fructuose suscipi, ut in necessitate *C.* solum esse ratum quoad substantiam sacramenti *N.* Quæstio enim erat, an liceret aliquando suscipere sacramenta ab hæreticis, et an sic susciperentur cum fructu? Negaverat utrumque Cyprianus simpliciter, ut aliunde constat; Augustinus vero constanter asserebat in baptismo hæreticorum imprimi characterem; et in casu necessitatis etiam, cæteris paribus, dari gratiam, ut si parvulus, vel adultus recte dispositus in periculo mortis ab iis baptizetur.

Hinc, quia de fructu sacramentorum erat quaestio, ait Urbanus, se Augustini sequi sententiam, solum baptismum apud hæreticos ratum esse, scilicet quoad fructum; quia revera ex omnibus sacramentis solus baptismus potest ab hæreticis cum fructu percipi in necessitate, sic volente Christo ob baptismi maximam necessitatem ad salutem, qualis non est in sacramentis cæteris.

165. *Inst. 2.* Sed Urbanus quoad alia sacramenta S. Cypriani sententiam approbare videtur; ergo hæc censet esse nulla quoad substantiam. *Prob. Ant.* Inquit enim universim sacramenta collata ab iis, qui separati ab Ecclesia sunt, solum habere formam juxta traditiones Patrum Gregorii, Cypriani, etc.: atqui Cyprianus dicebat constanter esse nulla simpliciter et omni modo; ergo.

R. D. Ant. Videtur approbare S. Cypriani sententiam ex parte *C.* ex toto *N.* In eo solo approbat S. Præsulis hujus sententiam, quod baptismum extra necessitatem ab hæretico non possit quis suscipere etiam fructuose, quantum ad gratiam; non vero approbat quoad alia, ut quod extra necessitatem non imprimat characterem, in necessitate vero nec gratiam conferat, nec characterem, quæ erat Cypriani sententia de hoc sacramento et reliquis.

166. *Inst. 3.* At saltem Urbanus in epist. ad Petrum Pistoriens. et Abbatem Vallis-Umbrosæ de substantia sacramenti et characterem loquitur; ergo. *Prob. Ant.* Ait enim simpliciter Daibertum nihil accepisse a Nezelone, cum hic simoniacus nihil habuerit, quod dare potuisset, ex decreto Innocentii Papæ.

R. N. Ant. Ad prob. D. Nihil accepisse quoad substantiam sacramenti, vel characterem *N.* Nihil juris, vel potestatis legitimæ exequendi ordinem, in eo ministrandi *C.*

167. *Inst. 4.* Urbanus cit. epist. dicit, sequi se Damasi sententiam de Chorepiscopis, qui, licet non essent Episcopi consecrati, presbyteros tamen ordinare præsumperant: atqui cum Damasus illorum ordinationes declaravit nullas, id certe quoad earum substantiam intellexit; ergo etiam Urbanus hic.

R. D. Maj. Dicit sequi se Damasi sententiam ex aliqua parte, et in uno sensu *C.* omni *N.* Nimirum Damasi erat hæc sententia generalis: *Reiterari oportet, quod male actum est.* Hæc vero sententia pro varietate subjectæ materiæ varie accipitur; et quidem hic potest sumi dupliciter 1º. de ordine quoad ejus substantiam, characterem, et simul jus illum exequendi; 2º. de solo jure illum exequendi. Damasus autem hanc sententiam applicabat ad Chorepiscopos; qui cum veri non essent, nec sacramentum ordinis, nec facultatem ordinem exequendi conferre poterant; ideoque illa sententia Damasi juxta ejus mentem et de ordine quoad substantiam, et quoad illius executionem debet intelligi; Urbanus e contra illam sententiam adhibet ad simoniacos, qui cum essent consecrati Episcopi, sacramentum ordinis quidem conferre poterant, et characterem imprimere; sed potestatem legitimam collatum ordinem exequendi dare non poterant; ideoque juxta Urbani mentem dicta sententia de sola executione ordinis debet accipi, et

applicari hoc modo: male actum est, cum Nezelo simoniacus Daiberto dedit facultatem exequendi suum ordinem; hanc enim Nezelo amiserat in poenam, et proinde juxta Innocentium dare non poterat, quod non habebat; ergo hoc, quod male actum est, et in Daiberto reiterandum est; sive de novo illi conferenda facultas est ordinem exequendi.

168. *Inst. 5.* Hoc est vim inferre verbis Pontificis, cum sine fundamento sic Urbanus explicetur; ergo.

R. N. Ant. Nam postquam Urbanus citasset illam sententiam Damasi, et dixisset: *Nos igitur tanti Pontificis... Daibertum ex integro diaconum constituimus;* immediate subdit: *quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem.* At vero debuisset dicere reiterationem, si ordo collatus Daiberto fuisset nullus quoad substantiam.

169. *Inst. 6.* Sed Pontifex ait se de integro Daibertum diaconum constituere, item integrum dare diaconium; ergo nihilominus videtur eum de novo consecrasse.

R. N. Cons. Ideo enim ait se dare diaconatum integrum, vel, de integro Daibertum diaconum constituere, quia dabat facultatem ordinem exequendi; quæ erat complementum ordinis accepti; nam ante hanc facultatem ordinem habebat quoad substantiam, sed non quoad integritatem sive complementum; deerat enim adhuc facultas exequendi. Ratio est, quia ait se id non existimare reiterationem.

170. *Inst. 7.* Pontifex per integram diaconii dationem potius novam intelligit collationem ipsius ordinis; ergo. *Prob. Ant.* Immediate enim hanc subjungit causam: *qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

R. N. Ant. Ad prob. D. Qui nihil habuit, nihil dare potuit, qua parte nihil habuit *C.* secus *N.* Simoniacus habet potestatem ordinis et characterem, non autem potestatem exequendi, quia ipso jure, juxta canones, in poenam tanti sceleris suspensus est, ut ait S. THOMAS 2. 2. q. 100. a. 6. ad 1. *Qui simoniace recipit ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti; non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quod quasi furtive suscipit contra principalis Domini voluntatem, et ideo est ipso jure suspensus, etc.* Dat igitur simoniacus, quod habet, scilicet characterem; non autem executionem ordinis, quam ipse non habet.

171. *Obj. IX. 1º.* Ebo Rhemensis in Synodo Suessionensi II. sub Leone IV. an. 853. et sub Ludovico imperatore, cui infensus erat, depositus, imo accedente Sergii Pontificis confirmatione in laica communione detentus, postea vero Lotharii imperatoris opera sedi restitutus plures habuit ordinationes: sed iterum a sede dejecto Hinemarus ab episcopis Gallicanis suffectus est; sed hic in Conc. Suession. cit. Act. 4. et 5. approbantibus plerisque Episcopis ordinationes Ebbonis declaravit absolute nullas, et ab Ebbone ordinatos nihil ab eo præter damnationem recepisse. 2º. Pelagius Papa apud Morinum Exercit. 5. cap. 1. ait: non est verum corpus Christi, quod schismaticus conficit. 3º. Græci recentiores ordinationes hæreticorum de novo et vere iterandas esse definiunt; ut testatur Balzamon L. 5. qui simul refert id factum

a Græcis antiquis. 4°. GREGORIUS Nazianz., relatus a Gratiano Caus. 1. q. 1. can. 2. simoniace ordinatum ait in sacro ordine nulla ratione permanere posse, quia hunc vendidit, et *nemo retinere potest, quod vendidit*. 3°. S. LEO relatus a Gratiano ibid. can. 1. *Gratia, inquit, si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est; simoniaci autem, etc. Quid ergo dant? quod habent; quid autem habent? spiritum utique mendacii*. Ergo præter hunc etiam nihil conferunt.

Ad 1^{um}. R. Historia Ebbonis potius conclusionem confirmat; omnia enim, quæ in eo Concilio acta fuerant, improbata fuere a Nicolao I. et rescissa; hujus jussu congregatum fuit Conc. Suessionense III. quod ordinatos ab Ebbone dignos pronuntiat, qui suis gradibus restituantur, definitivo judicio reservato Pontifici Nicolao I. qui datis litteris ad Patres Concilii et Hincmarum edicit injuste depositos clericos, et Ebbonem immerito dejectum. Hincmari vero fraudem et versutias reprimit, et severe reprehendit. Nicolao successit Adrianus II. qui scribens ad Synodum Tricassinam acta Nicolai ea in causa confirmavit.

Ad 2^{um}. R. D. Non est verum corpus Christi quoad significationem mysticam, quia significat unitatem C. non est verum in substantia et re N. Similia plura habet Leo M. epist. ad Anatolium. Item Algerus L. 5. de sacram. Corp. et Sanguinis Christi.

Ad 3^{um}. R. 1°. Recentiores Græci, schismate divulsi ab Ecclesia, auctoritatem non habent, nec merentur; sique ordines reiterent, id contra majorum suorum dogma perverse faciunt. Balzamonis auctoritas, utpote etiam schismatici, levis est.

R. 2°. etiam D. Refert id factum a Græcis antiquis ordinatione non sacramentali C. sacramentali *subd.* Si iterandus erat baptismus, ex defectu legitimæ formæ ab hæretico ante invalide collatus C. secus N. Duæ olim erant classes hæreticorum; *prima* eorum qui recipiebantur reiteratione baptismi, quia fuerat nullus defectus formæ; *secunda* eorum qui per solam unctionem admittebantur, juxta Concilium Constantin. I. can. 7. Postea accessit *tertia* eorum, qui nuncupata tantum professione Catholicæ fidei recipiebantur, ut constat ex S. Gregorio L. 9. epist. 61. et antiquis Græcorum Euchologiis; igitur si aliter hodie agant Græci, a majoribus suis recedunt.

Ad 4^{um}. R. 1°. Ea verba nullibi reperiri in S. Gregorio Nazianzeno, ac proinde huic immerito a Gratiano tribuntur; cujus vero sint, incertum est.

R. 2°. Etiam commode exponi possunt de ordine quoad executionem.

Ad 5^{um}. R. 1°. Neque hæc verba in operibus S. Leonis ullibi reperiri.

R. 2°. Quicumque auctor sit, loquitur de gratia sanctificante, quæ utique in ordinatione simoniaca non obtinetur. Dum igitur ait dari spiritum mendacii, gratiam vult duntaxat excludere, cui illum opponit.

ARTICULUS X.

DE SUBJECTO ORDINATIONIS.

172. Ex hæreticis antiquis Marcum e Gnosticorum grege mulieribus potestatem fecisse Eucharistiæ consecrandæ testatur IRENEUS L. 1. cap. 9. Montanistæ, qui et Pepuziani, Cataphryges, Priscilliani nominati sunt, non tantum diaconissas, sed etiam presbyteras, imo episcopos ordinabant, ut videre est apud EPIPHANUM Hær. 49. et 79., AUGUSTIN. de Hæresib. cap. 27. Apud Collyridianos mulieres quolibet anno ac certa die B. Mariæ Virgini sacrificium, ac placentas offerre consueverant. EPIPHAN. Hær. 79. Ex Catholicis Doctoribus infantes esse incapaces ordinis censuit Durandus, et Tournelly: invitum valide ordinari docuit Morinus, Vanroy cum paucis aliis.

173. *Dico I.* Subjectum capax ordinationis est solus, et omnis mas baptizatus.

Prob. 1^a. p. de solo masculino ex Script. Apostolus 1. Cor. 14. *Mulieres, inquit, in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Idem 1. ad Tim. 2. dicit: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Ex quibus satis patet, mulierem in nullo gradu ecclesiastico esse posse; qui enim constituti sunt in gradibus ecclesiasticis, his competit docere, loqui in Ecclesia, et habent auctoritatem et præminentiam in alios; Apostolus vero hæc negat mulieri, cam in statu subjectionis collocans.

Conf. Ex Traditione. A Christo enim qui in ultima Cœna nequidem sanctissimam Matrem suam, sed solos viros ordinavit, usque nunc nulla unquam mulier sive ab Apostolis, sive eorum successoribus ordinata fuit sacramentaliter. Imo sive naturæ legem spectemus, sive mosaicam, nulla unquam occurret mulier, quæ sacerdotio functa fuerit: Ecclesia autem insuper tanquam hæreticos semper habuit eos, qui sacerdotium mulieribus conferebant. Et ratio est; quia ordo, ex dictis, superioritatem et eminentiam importat; mulier vero statum subjectionis habet; *vir caput mulieris est*, ad Ephes. 5. non illa viri. Præterea ita condita est mulier, ut conveniens non sit ejus verecundiæ, fragilitati, etc. publice in Ecclesia ministeria habere; sacris altaribus adstare.

Ex his sequitur, nequidem tonsuram posse recipi valide a muliere, quia est præparatio ad ordines ecclesiasticos; igitur cum jure divino sit incapax ordinis, tanquam formæ, etiam incapax censi debet dispositionis ac præparationis ad formam. Eodem modo hermaphroditus repellitur ab ordinibus, si in eo sexus femineus prævaleat. NAVARR. L. 1. Consil. Cons. 8. et alii. Plura de his Theologi morales.

Prob. 2^a. p. de masculino quolibet baptizato. INNOCENT. III. Unic. de Clerico per saltum promotus, consultus, quid agendum esset de clerico, qui minoribus ordinibus infra annos discretionis receptis, postea prætermissis dia-